

cum Mariæ quam simillima fuerit, tunc pulcherrima, tunc ornatissima, cum ad Marianæ pulchritudinis, atque omnigeni spiritualis ornatus exemplar absolutissimum sese composuerit: imò ut ad tale, tantumque totam se emundet, efformet, exornet Ecclesia: eodem orationis dicto, usdem lectissimis verbis, eadem Hieroglyphicorum formâ, qua Mariæ sanctitas expressa fuit, Ecclesiæ quoque perfectio adumbrata est. Non ergo alienum quid à divini spiritus ingenio, à germano sacræ Scripturæ sensu commiserit Interpres, si primò in his ipsis symbolis Mariana mysteria pericruteretur; deinde nobilissima veluti exemplaria puritatis, ac sanctitatis, Ecclesiæ imitanda proposuerit. Hinc illud Ambrosii lib. 12. in Lucam de Ecclesiâ & Maria: Verè desponsata, sed virgo: Virgo, quia est Ecclesiæ typus, quæ est immaculata, sed nupta. Dicendum igitur, Davidi sermonem esse litterarium de Virgine Matre & Ecclesiâ; de illa primum & præcipuum, de hac secundarium.

Ecclesiâ typus Mariæ. S. Ambro.

§. XI.

Reliquis Psalmus percurritur, atque ex Deiparæ præservazione, totius Ecclesiæ felicitas, ac securitas adstruitur.

1346 V. 6. Deus in medio ejus, non commovebitur: adjuvabit eam Deus manè diluculo. Civitatem Dei, Evangelicam nempe Jerosolymam, Christianam Ecclesiam longè tutiorem, ac securiorem fore pollicetur, Mariano sanctificato, & præservato Tabernaculo, quàm Israelitica illa Jerosolyma unquam extiterit materiario illo Mosaico, vel Davidico Tabernaculo retento, atque eo tutiorem, & securiorem, quòd ligneo illi hoc præstat mysticum Altissimi sacrarium. Deus in medio ejus, non commovebitur. Securitatis rationem hanc reddit, scilicet Ecclesiam non commovendam, quia in medio ejus, in suo nempe Tabernaculo, Deus Regiam sedem locavit. Nimirum ex quo Altissimus suum sanctificavit Tabernaculum, totum præsentia, totum majestate, totum sua complevit potentia. Non ergo urbem Tartarus, non tota hostium visibiliū vis percurrere, non lætitiā, non festam Ecclesiæ pacem inturbare queat tanto ac tali Imperatore tutissimam. Ab ipsa Mariana sanctificatione suam Ecclesia repetit securitatem: Altissimus enim, qui Mariam sanctificando præservavit, eadem opera & Ecclesiam voluit esse servatam; & qui à Tartarei hostis insultibus immunem Matrem suam præstitit, eodem consilio & nos omnes ab eodem infensissimo hoste salvos, & incolumes esse decrevit. Et quidem si ipsa Deipara in causa est, ob quam tota Ecclesia nullis hostium machinis labefactari possit, quanto tutius, quantoque securius ipsammet, Altissimi Tabernaculum, Propheta statutam fuisse indicat, à qua tanta Ecclesiæ provenit firmitudo.

Ab ipsa Maria sanctificatione suam repetit Ecclesiâ securitatem & Dei præsentiam.

Summa Dei in adjuvando Ecclesiam celeritas, Matrem præsertim.

1347 Adjuvabit eam Deus manè diluculo. Ex his etiam tam expeditis, tam opportunis Ecclesiæ suppētis à sanctificato Tabernaculo divinitus propugnato convenientibus, rectâ licet ratione concludere, quàm præmaturis, quàm præmeditatis auxiliis ipsammet Tabernaculum fuerit præmunitum; quandoquidem quia ipsum ab Altissimo sanctificatum est quia ab ipso præsentem propugnatum, tota Civitas

nec commovenda quidem sit, opem illi oppidò ferente Numine, & certè manè diluculo, quod mox explicio. Dixerat, præsentem in medio suo Tabernaculo summo Rege, Ecclesiam mimè commotum iri: occurrit tacitæ objectioni. Quid si hostes collaus copis, admotis machinis turres impetere, ac conqussare fuerint moliti? Quo omnem submoveat hostilis cladis suspicionem, nec hostile nomen commemorat, divina tamen auxilia communi scitur: Adjuvabit eam Deus manè diluculo. Quid nam rei est, manè diluculo? S. Hieron. legit: in ortu matutino. Symmachus; circa diluculum. Aquila vividus; cum urget ad diluculum tempus: seu ut Interpres Chrysostomi recitat: cum hora matutina respicit. Est autem in Græco Aquilæ, τὸ νῆος ἀνατολῆς: cum vix dum aurora oculis nictare appetit: vel cum primum diluculum vixdum micare innuit. Expressit verbum Hebraicum Iphnoth, ad respectu auroræ. Euthymius secum vobis Græca diligentius expendit: τὸ νῆος ἀνατολῆς, diluculo ad diluculum, veluti in quoddam diluculum alterius diluculi: ait ille, quod summam indicat: in adjuvando celeritatem. Et d. bitamus adhuc Deum suomet ipso Tabernaculo de divinis gratiæ suppētis quam matutimè providisse, illudque contra hostilem vel astum vel impetum præmunitis, qui propter ipsummet Marianum Tabernaculum sua virtute præmunitum, totam etiam Ecclesiam adeò vigilanter, & maturè suscipit defendendam, ut excubias agat, hostem præoccupet, primam auroræ lucem prævolet, opem præstò laturus? Certè qui sic toti urbi invigilat, longè ille vigilantius suo præcavit Tabernaculo sanctificato, myrrhanoque præservationis unguento præuncto, & consecrato.

לְנוֹרָה

1348 V. 7. Conturbata sunt gentes, & inclinata sunt regna; dedit vocem suam, mota est terra. Nec fortis est Imperatoris, hostes propriis dumtaxat sinibus propulsare, proprii imperii terminos pacatos tueri, proculque abactos sui nominis terrore compescere; nisi etiam aggrediendo, & profigando, adversariorum vires perfringat. Hoc igitur adicit fortissimus dux, idemque elegantissimus Paltes, summi Imperatoris, vel voce percellendos hostes, totamque terram dejectum iri, atque prostratum. Nimirum is ipse est exercituum Dominus; is ille est, qui Jacobitas tot olim hostibus exagitatos propugnavit; is, inquam, ipse nobiscum adest, is fovendos nos, ac propugnandos suscepit. Sed expendamus unam, vel alteram vocem, atque illustremus Evangelicam sententiam, Dedit vocem suam, & mota est terra. Perinde ac diceret: Quid vereamur, talem nacti ducem, cujus vel vocem, si audiat, metu consternandus sit terrarum orbis universus? scimus, divinæ vocis efficacitatem tonitruū symbolo in sacra Scriptura explicari. Scitè apud Senecam in Thyeste A. 2. de hac Dei voce dixit Chorus per exaggerationem animi verè Regii:

Quem non concutiet cadens Obliqui via fulminis.

Senec.

Sed in Natural. Quæst. l. 2. c. 42. rationem ut reddat, cur Jovem fulmina de nubibus mitte-re dixerit antiquitas. Ad coercendos (inquit) Cur Jupiter animos imperitorum, sapientissimi viri judicaverunt inevitabilem metum, ut supra nos aliquid nubibus mittere dimitteremus. Utile erat in tanta audacia scelerum aliquid esse, ad ver sum quod nemo sibi satis potens videretur.

Senec.

Sapi. 5. 22.

videretur. Ad conterendos itaque eos, quibus innocencia nisi metu non placet, posuere super caput vindicem, & quidem armatum. Rectè, armatum: & Dei vocem hanc, veluti aenea tormenta, bellicasque Dei machinas fas est intelligere, uti Sapiens intellexit c. 5. 22. Porro vocem Dei non tonitruum tantum, id est, non insanum aëris strepitum, sed tonitruum cum fulmine cum igne caelesti, nempe efficacissimam præsentis, atque bellantis Dei virtutem intelligit David: qualem sub eadem metaphora describit Isaias c. 3. v. 30. Confer Pl. 17. 15. & totum Pl. 28.

Ecclesiâ sub Dei iusula, pacata, securata, servata per Mariam.

Emanuel quid significet.

1349 V. 8. Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Jacob. Inde arguit, futurum, ut Ecclesiâ pacata, lectra omnium caelestium bonorū copia fortunatissima degat, propulsatis, profusis extremaque clade hostibus affectis, quia Deus virtutum nobiscum. Hebraicè, Jehova Emanuel; pro quo Isaias 7. 14. & c. 8. 8. repositus Emanuel, addito nomine el, unum ex Dei nominibus. S. Matthæus exposuit c. 1. 23. nobiscum Deus. Certè postquam sanctificavit Tabernaculum suum Altissimus, postquam in medio ejus Regiam sedem posuit, postquam Mariam Matrem Virginem eo consilio condidit, condendo sanctificavit ac præservavit, ut ex ipsa hominem indueret, humanamque naturam propugnandam susciperet, nos etiam ab immani hoste in libertatem asserendos suscipit, tanquam Emanuel, Deus fortis, nobiscum Deus. Deinde susceptor noster appellatur, id ipsum exprimens certa hac, ac solemnī formula; nam verbum suscipiendi, apprehendendi, conceptum jam à Prophetis, qui Dei hominis dispensationem commendant. Pl. 3. 4. Quòd si quis simpliciū de opulutione acceperit, dummodo de Christo Deo homine Vaticanum esse concedat, non pugnabo contra, præsertim cum similia in hoc sensu legam Pl. 117. 13. Sed observo, nomen susceptor Græcè proprie est succurrens, & manum porrigentis, & retinentis alioqui prolapsurum. Sensus autem erit ex visceribus Davidici argumenti nobilissimus, Christum nostrum servatorem, ac susceptorem futurum, ex quo Matrem suscepit, vel clariùs: Matrem, instar Tabernaculi sui, præservante gratiæ unguento sibi consecraturum, ut in medio hujusce Tabernaculi incorporatus Deus consistens, homines jam inde propugnare occipiat: & qui Matrem à primo peccato præservavit, inde à prima præservatione auspiciatius affueverit nos etiam à plerisque actualibus præmunire. Id enim est susceptor noster, nobis oppidò succurrens, manum injiciens, fortiterqueprehendens, ne nos hostis vis ulla revellat, atque in sua compellat castra.

Profigato hoste, Ecclesiâ festâ fruatur pace.

1350 V. 9. Venite, & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella usque ad finem terra. Arcum conteret, & confringet arma, & scuta comburet igni. Fufum, ac profigatum hostem, clypeos, arcus, bellicos currus, moles, ac machinas universas, cæteraque hostilia armamenta diffracta, discissa, igni demum data: jam oclusum perpetuò sanum, pacatum omnino imperium divinum; id, inquam, meritò Dei opus compellat Poëta Regium, non sine prodigiis magnis confectum. Quæ porro, & quanta in hoc Dei opere, id est, in Evangelica orbis expeditione intercesserint prodigia, quis ignorat Christianus? Tunc illud certè oculis usurpatum prodigium, ut habitaret lupus cum agno, & hædus cum pardo accubaret, vitulus & Leo, & ovis simul mora-

rentur, & puer parvulus minaret eos. Isai. 11. 6. Tunc stulta mundi elegit Deus, & per illa confudit sapientes, per infima, & in belia fortissimos quosque pudore affecit; per contemptibilia, ignobilia, & profus nihil, consistentia prorsus aboleret. 1. Corin. 27. Tunc visi montes caelesti igni tacti tabescere; tunc aquæ eodem flagrare incendio; tunc, inquam, hujusmodi facta mirabilia Isai. 64. 2. Tunc & Jesus Sacerdos, & ejus comites, viri portendent in orbe prospecti. Zachar. 3. 8. & scilicet id genus prodigia, atque portenta, quæ si vellem commemorando persequi, tota mihi lex, & Prophætæ essent commemorandi; tota retexenda his prodigiis contexta Joannis Apocalypsis. Coercenda tamen oratio, atque ad illud prodigiorum genus interpretatio revocanda est, quæ Paltes signatè perstrinxit: nempe excilium jam hostem, confectum feliciter prælium, totum demum imperium festâ tuisse pace compositum: hujusce porro pacis illud esse signum, quod hostilia Imperator arma flammis absumpsit.

Et scuta comburet igni. Antiquo id more factum, quo absolutissima indicaretur victoria: si victor devicti exercitus arma combussisset. Sic Josue cap. 11. 6. & 9. in extremo prælio currus etiam hostiles igni dedit ex divino præscripto. Et de scutis etiam exteri, Evandrus Æneidos 8.

O mibi præteritos referat si Jupiter annos, Qualis eram, cum jam aciem Præeste sub ipsa

Stravi, scutorumque incendi victor acervos. Igitur sic fuisse Dei hostem occisum, ut scuta etiam igni fuerint combusta, perfectissimam victoriam fuisse partam notissimo expressit symbolo. Rem ipsam sic prædictam si præstitam velis inspicere, ad Apoc. 19. 20. & Isai. 9. 6.

1351 V. 11. Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus; exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra. Unumquemque ducem suamet produnt, atque commendant facinora; ex iis igitur quæ certâ fide patrata cernitis, quantus ego sim, & qualis, arguite; quamque dignus existam, qui unus per universum orbem triumphali plausu Imperator excipiar. Agite ergo ut hæc sedata mente perpendatis: vacate & videte. Eximia est S. Bedæ expositio, qui Homil. in Pentecostem, illud vacate, ad quietem illam, & vacationem Jubilei anni refert, quasi ad annum illum hic adluserit Paltes. Quasi, inquam, tota superior expeditio, & mystica victoria eò tetenderit, ut in libertatem captivos, servos, debitores, diffractas alienataque possessiones Imperator affereret; quibus peractis, annum se Jubilei terræ merito attulisse asserit. Vacandum igitur, quiescendum, intermittenda servilia quæque opera, festâ pace tanta Christi victoria celebranda.

V. 12. Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Jacob. Rectè Haymo observat, Psalmum hoc Vers. repetito concludi, qui rursus in medio Cantico positus erat, quippe qui sit totius Poëmatis summa. Certè gelienus, atque exultantis Ecclesiæ vox est, imò & in hostem insultantis, ait Sanctus Basilus, præ confidentia ex præsentia tantū D. c. s. concepta. Dominus virtutum nobiscum & c. Quasi totum retexens Psalmum eleganti quodam epologo, vel sanctificati Tabernaculi gloriam, vel auctæ Ecclesiæ felicitatem Christo Domino adscribat. Et quidem quàm verissimè; nam



nam & præservatio Virginis, & Ecclesiae tota fortuna inde dedicta, uni Christo nobiscum Deo debita referenda est. Propterea hoc epiphonemate clausit quæst. d. tantum est Deum esse nobiscum, Deum nostram suscepisse naturam: hinc Maria præservata, & Ecclesia asserua. Maerit igitur ex hæcenus dictis liquidum, quo iure Deipara inelamaverit, vel à puncto Inæ Conceptionis: Et qui creavit me, requieuit in Tabernaculo meo.

Moralis illustratio.

SECTIO VII.

Non sit partiarua Gubernatoris bonitas: æqualem se omnibus exhibeat.

1352 Hoc illud esse reor, quod de se Incarnata prædicat Sapientia: In omnibus requiem quaesivi. Cum enim dixisset, se in omni populo, & in omni gente primatum habere; subtextit satis opportunè Gubernatorem informans, intimam ejus familiaritatem, quoad ipsam spectat, cum universis esse, absque ulla exceptione. Sic moralissimè præfacta verba premit Sanctus Bernardus Ser. 3, in festo omnium Sanctorum. In omnibus requiem quaesivi. Hæc est planè requies Domini, non intermissa, non circa aliquid certum restricta; quoniam in omnibus gaudet, in omnibus delectatur, in omnibus requiem querit, & invenit. Nam & bona ei placent in se ipsis, & delectatur nihilominus bona ordinatione malorum. Quid ergo? Putasne poterit humana anima in hoc gaudium Domini sui, & in hanc ejus requiem intrare, ut & ipsa quoque in omnibus delectetur: nec aliqua jam privata affectione contrahatur in rugam, sed transeat in affectum quandam generalem atque divinum? Poterit sine dubio, si fidelis inveniat, &c. Tunc certè supremum totius orbis Gubernatorem & Dominum, Gubernatores imitantur, cum eorum bonitas partiarua non est, sed indiscriminatum in universos eam derivant, æqualiter omnibus consulentes: sic cum in affectum generalem transeat, in divinum profus transibunt, & divino quoque cognomine digni censentur. Dii merito appellandi, ut appellat Psaltes Ps. 81. 1. Deus stetit in Synagoga Deorum: id est, Judicum, Gubernatorum, Principum. Quoniam enim Deus verè Judex est; homines verò & ipsi administrationem judicii usurparunt; appellati sunt Dii, tanquam Deum hac in re imitati: ait ibi Sanctus Basilius.

Deus omnes amplectitur, absque ulla exceptione.

S. Bernar.

Pf. 81. 1.

S. Basil.

Job 29. 5.

Job instar centri, subditi, instar circuli, ad quem ex centro lineæ æqualiter desunt.

O prudentissimum Principis affectum! Universos in circuitu suo habet, tanquam circumlum; ad universos non dispari cura protenditur amor: universos æqualiter respicit, ac singulis prospicit; totum Patrem sibi vendicant singuli filii, singulique famuli; requiem in Principe habent, uti in centro; & ipse in singulis requiem quaerit, uti in circulo. Nonne tibi videtur optima isthæc Gubernatoris norma?

1354 Solent Principes tum Ecclesiastici, tum seculares componi cum oculis, cum corde, cum anima rationali. Ut porrò hæc similitudinibus admoneantur, quomodo debeant æqualiter universos respicere, omni abjurata partialitate, & personarum acceptione. In primis Gubernatores in dignitate positi, oculi sunt in capite, ut & loco superiori, tanquam ex specula, longè prospiciant. Sic observant Ecclesiae Patres ad illud Cant. 5. Cant. 5. 12. 12. Oculi ejus sicut columba. & ad Zachariae Zach. 3. 9. cap. 3. 9. Super lapidem unum septem oculi sunt. Ea autem est oculorum conditio, ut membrum corporis reliquis æqualiter provideant, quin alia aliis præferant. Quæ pulchra est S. Chrysolomi observatio cum pulchra ad mores disciplina in 2. Epist. ad Theosal. cap. 1. vers. 3 Si oculus omnem providentiam, & S. Chrysol. curam, quam pro universo corpore habet, in solam manum derivaret, ac reliquis membris omnino contemptis, uni isti intenderet, an non totum perderet? Absque dubio. Ita & nosse charitatem, quam in universam Ecclesiam extendere debemus, in unum, & alterum coarctaverimus, & nobis ipsis, & illis, totique Ecclesie perniciem inferemus; ita namque non sunt charitatis, sed dissidii schismata nempe, & rupturæ hinc. Quid ad rem nostram luculentius! Hic spectant sacri illi Cherubini Ezechielis, Deum ipsum supremum mundi Gubernatorem sublimi in curru vehentes. Erant quidem oculis pleni, qualis Argus centoculus, sive multorum oculorum, ut ibi Hieronymus observat. Sic Vates eos describit cap. 1. 18. & c. 10. 12. Et omne corpus & colla, & manus, & pedes, & circuli, plena erant oculis. Indubie erant Gubernatorum typi; & Dei examini & c. 10. 12. Principis providentiam in se ipsis exprimebant, exprimebant item in omnibus Reipublice Principibus, & Ecclesie Prælati. Illud præsertim nostro accommodum instituto; quod, quadriformia cum essent mystica illa animalia, omnes orbis plagas, omnes mundi nationes indifferenter spectabant, & tanquam oculi omnem providentiam, curam in universos derivabant, absque ulla partialitate. Unde Theodoretus ibi: Cui tot sunt numero facies Theod. quot partes orbis terræ, huic Australe nihil est, sed ubique facies illius omnia intuetur. Ut sic Gubernatores admoneantur, ne partiarui sint, sed sibi subditi æquali providentia, & amore prosequantur; secus & sibi ipsis, & toti communitati nocumento erunt.

1355 Rursus cum corde etiam comparatur Prælati. Isai. 1. 5. Omne caput languidum, & omne cor marens. Ubi Cyrillus Alexandrinus. Cor sacrosanctam, & selectam Tribum, id est, Leviticam, veluti lege eruditam, & curam totius corporis gerentem, videtur dicere. Et quidem rectè; nam, ut Chrysostrus apud Galenum lib. 3. de Hippocratis & Plat. decretis, cor Græcis cordiam dictum, à præcipuo dicitur, id est, à dominio, & principatu. Cumque

Optima Gubernatoris norma.

Principes instar oculorum, membris omnibus æqualiter providentium.

Oculi Cherubini, Gubernatorum typus. S. Hieron. Ezech. 1. 18. & c. 10. 12. Quadriformes Cherubini omnes mundi partes respicientes.

Cor à principio dicitur.

Ab eo in totum corpus calor, sanguis, vita.

que cor innati caloris, sanguinis, & vitæ fons fit, uti Arist. ait, lib. 3. depart. animal. cap. 4. & Gal. lib. 5. de affectuum locorum notitia cap. 1. optimum subministrat Prælatorum hieroglyphicum; qui, instar cordis, in reliquum corpus & innatum calorem, & sanguinem, & vitam derivant; ardentem nempe lucis doctrinam, totam virtutum perfectionem, bonorum operum actiones, & vitalem spiritum. Et hoc quidem indiscriminatum; non uni, aut alteri membro, sed omnibus sibi subditis æquè consulendo, ac benefaciendo: ad eum modum quo & cor omnibus corporis partibus, pro cuiusque necessitate, æqualiter consulit. Idcirco situm in corporis medio, sive in medio thorace, est, ut vitalem spiritum, & vivificum nectar æquo jure in omnia etiam extrema diffundat. A corde enim veluti à fonte duæ grandes venæ in priora & terga discurrunt, quæ sparsæ ramorum serie per alias minores omnibus membris vitalem sanguinem rigant. Atque hoc fortasse symbolice significatum est arcano illo Hebræi Antistitis rationali, in quo duodecim Tribuum gemmæ ipomet sacerdotis corde appendebantur, Exod. 28. 17. addita illa inscriptione rei mysterium indicante: doctrinam, & veritatem. Hebræicè, urim, & Tumim, id est, igneæ lucis, & perfectiones. Significabat nempe totum Pontificem veluti cor esse totius Ecclesiastici corporis; in illoque flammantem ignem doctrinæ, & virtutum omnium perfectiones, tanquam in proprio fonte residere; à quo, quali à corde, ad reliquum corpus, duodecim nempe Tribus, absque ulla partialitate, promanarent.

Principes, instar animæ, subditi instar corporis.

1356 Deinde Principes, & Prælati anima & spiritus subditorum sunt; illi enim populos non minus, quam spiritus sua corpora, animant, & informant. Unde Moyses Num. 27. 16. ut ostenderet Gubernatorum electionem ad Dei providentiam spectare, eum appellavit Dominum Deum spirituum, id est, Prælatorum, ut docti explicant Interpretes. Et cur non, cum Seneca lib. 1. de clementia c. 5. Neronem sic appellaverit? Animus Reipublice tu es, illa corpus tuum. Venusta profecto similitudo, & quæ Gubernatoris æqualitatem in subditos commendat, absque illoque exceptione. Ut enim anima rationalis tota est in toto corpore, & tota in qualibet parte, quantumvis minima, & infima; sic Principes tam peculiariter cuiusvis subditi bono, ac totius populi commodis debet esse intentus. Et quemadmodum anima omnibus, & singulis corporis partibus vitam inspirat, calorem, sensum, motum, vires altrices, & vegetatrices; sic Gubernatoris providentia, & cura ad omnia & singula Reipublice membra debet transire.

1357 Manifestum est de Christo Domino vaticinium apud Ezech. 34. 23. Et suscitabo super eum (gregem nempe suum) pastorem unum, qui pascet eas, servum meum David (sic Christus vocatur, quia ex femine Davidico prognatus) ipse pascet eas. Et servus meus David Princeps in medio eorum. Illud unum signatim premo; quod præponatur Christus Dominus ovis suis Pastor, & Princeps in medio eorum. Cur in medio eorum? Explicat S. Augustinus in Psalm. 45. ex usu Biblici sermonis haud infrequenti, sic præclare: Hoc significat, quod æquus est omnibus Deus, & personarum. P. Ildeph. de Flores in Eccles.

non accipit: quomodo enim illud, quod in medio est, paria habet spatia ad omnes fines; ita Deus medius esse dicitur, æqualiter omnibus consulens. Quod præsertim videre est in almo Eucharistie mysterio, ubi Christus, tanquam bonus ovium suarum Pastor & Ecclesie Princeps, æqualiter se omnibus in cibum exhibet, & potum; humanitatis suæ communem gratiam in universos fideles derivans. Propterea visus à Joanne est Apoc. 5. 6. uti Agnus occisus habens cornua septem, & oculos septem; qui sunt septem Spiritus Dei, missi non in unam, vel alteram terræ partem, sed in omnem terram; & quidem in medio Apoc. 5. 6. throni, & quatuor animalium, & in medio seniorum. Propterea quoque Zachar. 2. 5. Zach. 2. 5. ipse de se ait: Ero gloria in medio ejus. Hebraicè cabod, quod ita reddi posse Arias Montanus asserit: Ero jecur in medio ejus. Cum autem jecur sit illa corporis pars, ex qua in reliquum corpus alimentum traducitur, utpote ad vitam fovendam, ac sustentandam præcipua nobilissimum extat Eucharistie symbolum, ubi Christus tanquam Pastor & Princeps pretiosum suum sanguinem ad nostrum alimentum effundit, ita indiscriminatum, ut omnes & singuli justi totum Dominicum calicem participent. Hoc enim est esse jecur in medio ejus: quod æquus omnibus sit, absque personarum acceptione; ut porrò sic subditos sibi Principes, & Ecclesie Pastores instruat, ne illorum bonitas partiarua sit.

Christus in Eucharistia Pastor, & Princeps in medio Ecclesie.

1358 Componas, obsecro, inter se duo sacra Scripturæ testimonia: Alterum ex cap. 12. Exodi, ubi de Agno Paschali, in typum Christi à Cruce suspenso: Nec os illius confringetis. Quod ita prorsus factum; nam Joan. 19. 33. cum milites ad Jesum crucifixum accessissent, fracturi illius crura, uti & latronum; Non frangerunt ejus crura. Alterum ex 1. Corint. 10. 16. ubi Paulo de Eucharistico pane sermo est: Et panis, quem frangimus, nome participatio corporis Domini est? Ecce in ligno jam mortuus ullam ossium fractionem subire noluit; voluit tamen aliqualem sustinere in Eucharistia; Nonne incruenta Eucharistie oblatio sanguineam crucis oblationem repræsentat? Certè in ligno subditorum personam agebat; unde illa ejus querela Matth. 27. Deus meus, ut quid dereliquisti me? Ut enim sapienter S. Cyprianus in Serm. de Cæna Domini: Derelictorum personam gerens in cruce se queritur derelictum. At in sacra Eucharistia personam agit vigilantissimi Pastoris, & providentissimi Principis, ut agebat Ezichaelius, suas oves pascens, & gubernans; ideò in Cruce integer, absque ulla ossium fractione, in pretium solvitur; & in Eucharistia aliqualem fractionem patitur, ut sic quasi in frustra divisus à singulis ovis participetur, & tanto cibo sic fracto, ac distributo satientur omnes, & singuli. Arguta hæc est, ni me fallo, Chrysolomi cogitatio, prementis verba Apostoli proximè data S. Chryf. Hom. 24. Quare addit, quem frangimus? Hoc in Eucharistia videre licet, in cruce autem minime, sed omnino contrà. Os enim ejus, inquit, non conteretur. Sed quod in Cruce passus non est, in pastor, & oblatione patitur, & propter te frangi sustinet. Ut princeps omnes satiet. Quid luculentius? Optima hæc extat Gubernatorum omnium disciplina, quæ docentur, in omnes ut sint benefici, & humani; in omnes liberales, & æquales.

Exod. 12.

Joan. 19. 33.

1. Corin. 10. 16.

Cur in Cruce Jesus ossium fractionem subire noluit, voluit tamen aliqualem sustinere in Eucharistia.